

Hinc, cum Ball. P. (n. 628) contra Lehm. (I. n. 1135), opinamur non esse injustum lucrum etiam ingens quod assecuratores faciant. Nam, si singuli assecurati solvunt pretium quod respondeat servitio quod ipsis a societate praestatur, non officit justitiae quod per accidens, puta ob ingentem eorum numerum, lucrum extraordinarium ex. gr. 20% a societatis membris percipiatur. Hoc enim tamquam fructus industriae vel aleae spectari potest. Deinde, cum non soleat lex civilis prohibere quominus novae societates assecurationis condantur, vix fieri poterit ut, si tantum lucrum soleat stabiliter percipi a societatibus jam exstantibus, non exsurgant aliae quae minuto pretio clientes ad se alliciant.

III. Requiritur etiam ad justitiam hujus contractus, ut periculum rei assecratae integre declaretur, neque post assecurationem augeatur. In Jure nostro (Legis cit. a. 9), invalidus dicitur contractus assecurationis, quotiens aliquid reticetur vel falso declaratur, etiam sine mala fide, quod periculi existimationem minuat vel ejus objectum mutet, ita ut assecurator, si hanc circumstantiam cognovisset, non fuisset iisdem condicionibus contracturus. Solent quoque addi variae clausulae quibus assecuratores se a fraudibus et augendo periculo tueantur.

Igitur contractus erit nullus, et soluta forte compensatio restituenda erit si, in declarando periculo rei assecrandae, circumstantia tanti momenti omissa vel falso expressa est ut, veritate cognita, assecurator nullatenus contrahere voluisset: nam, cum periculum rei sit materia hujus contractus, error notabilis in eo declarando substantialis est. Si autem error admissus talis fuit ut, veritate cognita, assecuratores nihilominus contractum iniissent, sed majus praemium postulassent, non videtur contractus nullus esse antequam sententia judicis irritetur: aequitas enim suadet ut ita legem interpretemur, ne facilius assecurati omni beneficio contractus sui priventur. Compensandum tamen erit quod praemio justo solvendo, pro taxa societatis de qua agitur, defuerit. Si hujusmodi error e dolo contingit, idem dicendum censemus: nam cliens in casu per hunc dolum non dedit causam contractui simpliciter sumpto, sed tantum decremento praemii. Cfr. n. 590. Eodem modo solvendum ducimus casum quo, post initum contractum, periculum augetur.

IV. Requirit quoque justitia ut assecurator par sit compensandis damnis pro quibus respondit: secus enim veram securitatem non praebet. Ut autem censeatur par damno compensando, non est necessarium ut disponere valeat de pecunia aequali bonis pro quibus respondet: nam, si illa bona, ut solet, non sunt uni periculo exposita, puta quia sunt in diversis navibus, domibus etc., plane improbable est ea omnia simul peritura et compensanda esse. Quare assecurator par esse debet tantum

compensandis damnis quae verisimilliter timenda sint. Qui impar fuerit, poterit tamen retinere partem pretii respondentem valori pro quo reapse securitatem praestitit, ut opinatur Gury (Casus I. n. 1013) contra Lehm. (I. n. 1132), qui censet nihil retineri posse, quia in securitatem partialis valoris dominus non consensit. Nam rectius censendus est dominus voluisse ut per hunc contractum obligaretur assecurator ad securitatem praestandam, quantum praestare posset.

Quodsi res periit, manebit obligatio integrae compensationis praestandae partim e contractu, partim ex injusta fraude qua assecurator dominum impedivit ne alibi efficacem assecurationem quaereret.

658. V. Juxta legem civilem (a. 16), assecurator nullum damnum resarcire debet quod actione aut culpa gravi assecurati causatur; saepe eadem dispositio per contractus clausulas extenditur ad proxime cognatos, qui in instrumento nominantur. Similiter lege excluduntur (nisi expressa stipulatio in contrarium fiat) damna orta e bello vel populari tumultu (a. 19), immo e vitio rei intrinseco (a. 18): quod ultimum tamen, pro assecuratione contra incendium, valet tantum si constat vitium illud notum fuisse assecurato quando contractum iniit. (a. 35) Hinc, si culpa theologica gravi assecurati vel alius in instrumento designati damnum illatum est, nihil in conscientiae foro exigere aut servari potest: nisi forte, in rebus minoris momenti, assecurator sponte compensationem facere velit. Ubi vero culpa juridica tantum talis personae damnum contingit, jus ad compensationem amittitur tantum post judicis sententiam. Idem dicendum de casu quo dubitatur num culpa sit theologice gravis. (Marres, n. 480 seqq) Quodsi damnum culpa theologica alius personae acciderit, assecurator (nisi expresse contrarium stipulatus sit) ad damnum reparandum tenebitur; succedit tamen in omnia jura assecurati contra damnificatorem. (a. 22)

Nec potest petere damni compensationem qui de industria omisit ea facere quae damnum impedivissent vel minuissent, ex. gr. nolendo auferre ex incendio ea quae facile auferre potuisset. Ita e contractus natura et jure positivo. (a. 17)

VI. Assecurator tenetur tantum ad compensandum damnum quod assecuratus reapse passus est, attento valore rei consumptae eo tempore quo periit. (a. 20) Quodsi pretium pro parte tantum objecti assecurati solutum est, assecurator pro rata valoris istius tantum compensare debet, nisi contrarium expresse in contractu statutum sit: nam in hoc casu ipse assecuratus habetur tamquam assecurator pro reliquo valore. (a. 21) Quare injustus foret assecuratus qui majorem compensationem exigeret; posset tamen majorem accipere quam assecuratores, nulla

fraude circumventi, sponte offerrent vel quam arbitri statuerent. (Mares, n. 477)

VII. Qui voluntariam incendii causam posuit et pro rebus combustis compensationem recepit, vel qui aliis fraudibus ab assecuratoribus compensationem obtinuit ad quam jus non habebat, pecuniam receptam restituere debet iis quibus suo scelere damnum intulit. Verum, cum soleant societates plures sibi invicem securitatem praestare, non facile innotescet quis reapse damnum passus sit, neque, ob varia pericula reo imminetia, plerumque indicari poterit societatis administratoribus pro qua re compensata fiat restitutio. Practice igitur videtur sufficere ut praefatis administratoribus restituatur, cum melius detegi nequeat persona laesa et, si ita regulariter fit, compensatio quaedam inter varias societates existat. Insuper, ob hanc incertitudinem et exiguam laesionem quae singulis actionum hujus societatis possessoribus inferitur, plerumque etiam pauperibus vel causis piis restitui poterit. (Lehmk. n. 1134) Cfr. n. 552. In eodem casu sat crebro occurrere possunt causae ob quas restitutio differri queat, quales sunt impotentia physica vel moralis, timor infamiae vel poenae, etc.

VIII. Speciales difficultates morales praebet contractus qui dici solet **assecuratio vitae**. Multae enim et implexae quaestiones ab assecuratoribus proponi solent clientibus suis, ut, quantum fieri potest, cognoscatur qualem vitae durationem asecurandi sperare possint. Jamvero nunc fraude, nunc mero errore contingit ut his quaestionibus perperam responsum sit, ac proinde, de valore contractus dubium oriatur. Accurate harum quaestionum sensum et morale momentum explicat Huppert (Der Lebensversicherungsvertrag). Nos breviter praecipuas quasdam regulas statuemus :

1° Etiam ante iudicis sententiam, invalidus est contractus si negata vel reticita est circumstantia qua notabiliter minuatur probabilitas vitae ab assecurando protrahendae, ita ut assecurator, veritate cognita, contractum nullatenus inire voluisset. Talis enim error est substantialis (n. 588) : siquidem substantialiter mutat contractus objectum, seu vitam assecurandam. Exemplum habes in cliente qui reticeret sanguinis vomitum vel alia indicia probabilia mortis praematurae. Igitur si cliens bona fide egit, jus servat ad recuperanda praemia a se soluta ; ii vero in quorum favorem assecuratio facta est, nullum jus acquirunt ad summam, de qua convenerat, percipiendam vel retinendam. Sin autem mala fide cliens decepit assecuratorem, debet praeterea ipse (vel ejus heres) indemnem facere societatem assecurationis pro omnibus expensis quas, ob contractum istum invalidum, fecit.

Saepe tamen contractus, initio nullus, decursu temporis convalescit. Etenim :

a) Pleraeque societates in suis statutis declarant se renuntiare cuilibet juri contractum impugnandi ob falsas declarationes, postquam per quinque annos jam duraverit. (Huppert, op. cit. p. 45)

b) Quandoque, labentibus annis, apparebit circumstantiam reticitam jam non esse notabilem, puta dum sanitas assecurati praeter omnem spem convalescit. Quare, cum virtualiter perseveret assecuratoris consensus, contractus ipse validabitur.

Neque irritus censendus est contractus, si notabilis sanitatis defectus ita latebat ut nec clienti, nec medico innotescere posset. Nam, cum finis assecurationis vitae sit prospicere iis necessitatibus quae praevideri nequeant, assecurator debet in se suscipere ea pericula quae e causis omnem cognitionem fugientibus oriantur. (Huppert, op. cit. p. 43)

2° Contractus valet, et, prout jacet, ab utraque parte executioni mandandus est, si falso declarata vel reticita est circumstantia exigui momenti, puta si quis falso negat remedia homoeopathica a se adhibita esse vel, interrogatus num chirurgicam operationem subierit, reticet carbunculum sibi excisum fuisse. Ratio est assecuratorem, etiamsi veritatem cognovisset, fuisse contracturum iisdem condicionibus quibus nunc contractum sit. Quod si statuta alicujus societatis universe declarant quolibet errore in responsis viliari contractum, exspectari poterit iudicis sententia : aequitati enim repugnat ut assecuratus, propter errorem levis momenti, omni jure careat.

3° Contractus etiam valet, si reticita est circumstantia qua cognita assecurator contractum iniisset, sed majus praemium postulasset ; similiter si falso expressa est circumstantia, ob quam minutum sit praemium quod assecurator, veritate cognita, postulasset. Exemplo sint qui reticent morbum quo non omnino leviter minuitur spes vitae protrahendae, vel se fingunt aetate minus provecos quam reapse sint. Sed in hoc casu, restituenda est aequalitas inter contrahentes, datis assecuratori praemiis qualia veritate cognita postulasset, et, si error e culpa theologica clientis ortus est, ab eodem compensandae sunt expensae quas forsitan propterea fecit assecurator. Cfr. n. 589 seqq.

§ 2. DE LUDO.

659. Ludus hic intellegitur contractus quo ludentes inter se paciscuntur ut res quaedam victori in praemium cedat. Alio sensu, eadem vox designat operationem quamdam artificialem, ad animi relaxationem vel corporis exercitationem ordinatam : quam moderatur virtus eutra-

peliae. (n. 253) Saepe tamen contractus ludi, quem solum hic consideramus, adjicitur ludo, posteriore sensu accepto : quare non raro AA. ab uno sensu ad alterum transeunt. (Ball. P. n. 570 seqq.)

660. Ut justitia in contractu isto servetur, requiruntur sequentes condiciones :

I. Ut ludens juste *possit alienare quae ludendo exponit*. Ideo injustus est qui exponit rem alienam, vel rem suam, sed cujus liberam administrationem non habet, ut saepe contingit pro filiofamilias, vel rem suam et cujus liberam administrationem habet, sed quam amittere nequit quin se imparem faciat obligationi justitiae implendae, puta debitis solvendis.

Nihilominus qui ludit pecunia aliena et lucratur, per se lucrum servare potest, tamquam industriae fructum. Attamen, si in bonis propriis non habebat unde alteram partem, in casu adversae fortunae, indemnem faceret, nihil ab ea exigere potest : nam aequalitatem laesit, dum alterum voluit obligare ad aliquid dandum, ipse vero se ad nihil obligavit. At si ludo amiserit rem alienam, haec erit domino reddenda a victore, qui eam in se vel in aequivalenti detinet, ut fit in casu evictionis ; victus autem damnum e bonis propriis victori vel, si victor non restituerit, domino rei expositae compensare debet. (Ball. P. n. 579 seqq.)

Saepe dubia oriuntur de filiisfamilias ludo indulgentibus. Ipsi possunt e bonis quae ad parentes pertinent, sed filiis dantur, ex. gr. ad sustentationem quando extra domum paternam degunt, 5 % ludo exponere, juxta communem DD. sententiam, eo quod recreatio honesta et moderata est pars necessariae sustentationis ; similiter probabilis exponere possunt lucrum quod jam e ludo obtinuerint, cum etiam ad hoc supponi possit parentum consensus. (Lugo, disp. 31. n. 20 seqq.) Qui vero ludendo cum filiofamilias victor fuit, lucrum servare potest, praesumendo illud licite potuisse ab eo exponi ; reddere tamen deberet, si vel parentes juste reclamarent vel summa adeo immodica esset, pro conditione adolescentis, ut, etiam ante parentum reclamationem, pateret eam non potuisse juste ab eodem exponi. (Ball. P. n. 582) Nihil profecto restituendum est a victore, si filiusfamilias ludo amisit ea quae ad eum pertinent, sed quorum administratio est penes patrem vel tutorem. Cfr. n. 470.

II. Ut contractus *libere ineatur*. Ideo victor restituere debet quidquid accepit, tamquam lucrum, ab eo qui lusit semi-ebrius : is enim contractus ineundi, saltem ubi materia notabilis est, incapax erat. (n. 586)

Ubi vero victor victum ad ludendum metu vel dolo induxit, disputa-

tur inter DD. num lucrum retinere possit. Negat Lugo (disp. 31. n. 28), propter obligationem, quam injuria secum affert, restituendi totum damnum ex injuria subsecutum. Afirmat vero tamquam per se probabilis S. Alph. (n. 880), quia damnum non provenit ex injuria, sed ex infortunio et casu. Admittit tamen et ipse S. Doctor teneri victorem ad restitutionem, si metum passus eam petierit. Cum insuper vix metu coactus sit ad ludum qui non sit, propter fraudem vel praepotentem peritiam, de victoria certus, practice fere semper tale lucrum restituendum erit.

III. Ut *ne misceantur fraudes* contra ludi leges : hoc enim aperte injustum est. Ideo qui per fraudes lucratus est, tenetur et lucrum restituere et compensare spem victoriae quam colludens, cessante fraude, habuisset. Attamen injustitiae arguendi non sunt qui utuntur astutiis illis quas regulae lusus et recepta consuetudo patiuntur, ex. gr. si potiores chartas habens simulet metum ut adversarius sponsonem augeat, si quis inspiciat alterius chartas ex sola istius neglegentia et absque fraude, si a tergo discat nosse inter ludendum chartas quas ante non signarat, nec noverat. (S. Alph. n. 882)

IV. Ut *servetur aequalitas inter ludentes*, cum contractus iste sit onerosus. Attamen de sensu hujus conditionis non conveniunt AA. Multi, ut Lugo. (l. c. n. 46), existimant excessum notabilem peritiae in uno ludente, nisi melioribus condicionibus alteri factis compensetur, inducere injustitiam in ludum, ob defectum aequalitatis : unde qui, hujus peritiae suae multo majoris conscius, ludum institueret, ad lucrum restituendum teneretur. Alii tamen, ut Ball. P. (n. 599), opinantur nihil esse restituendum, dummodo fraus afuerit. Nam, si minus peritus noverat alterius praepotentiam, applicetur adagium quod *scienti et volenti non fit injuria* ; si eam ignoravit, ipse sibi imputet quod temere luserit cum homine de cujus peritia diligenter inquirere debuisset. Utraque sententia probabilis est.

661. Praeter has condiciones quae ad justitiam contractus ludi requiruntur, et aliae quaedam observandae sunt ne contra alias virtutes peccetur, speciatim : 1° Ne exponatur pecunia qua quis indigeat ad familiam alendam. — 2° Ne ludi fiant lege prohibiti. Nulli tamen, in Jure nostro, prohibentur. Juris autem Canonici prohibitiones jam quoad laicos in desuetudinem iverunt. De eadem prohibitionem quoad clericos dicitur Vol. II. n. 42. Per se autem nullum peccatum, etiam veniale, committitur ab eo qui principaliter vel unice ludit propter lucrum : nam nulla inordinatio in hoc est quod actio illa dirigitur ad finem ad

quem utilis est, etiam aliis finibus praetermissis; lucrum autem ad finem honestum ordinari potest. (Lugo, l. c. n. 4)

Magnam pecuniae summam una vice moraliter sumpta exponere, quidam, ut S. Franc. Sal. (Philot. p. 3. e. 29), injustum reputant, sed plerique probabilius a stricta injustitia per se excusant. (Ball. P. n. 575) Haec tamen videtur, natura sua, prodigalitas, opposita recto usui bonorum fortunae quem humanae societatis ordo requirit: qui defectus venialis est, dummodo non laedantur alia officia magni momenti, ex. gr. se imparem faciendo solvendis debilis vel familiae alendae. Practice igitur, sicut non est obligandus victus ad dandam talem summam, ita nec victor obligari potest ad eam reddendam, etiamsi victus rem tertio debitam injuste exposuisset. Cfr. n. 610, 5^o.

Nullum dubium esse potest quin gravissimis peccatis scandali et cooperationis peccent qui publicas aedes aperiunt ludis, in quibus multi soleant suum et familiae patrimonium prodigere: unde ad omnimoda scelera et ad ipsum suicidium non raro inducantur. Idem dic de iis qui, majoris lucri gratia, pecuniam conferunt ad societatem ludorum constituendam, quae manifeste vel aequivalenter publica sit. Recte opinatur Lehmk. (l. n. 1140) gubernia tales domos tolerare tantum posse ut meretricum domos, nempe si haec tolerantia, propter morum corruptelam, necessaria sit ad majora mala cavenda, et quatenus ad hunc finem necessaria sit.

§ 3. DE SPONSIONE.

662. Sponsio, ut communiter inquitur, est contractus in quo duo, de veritate aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent ut id ejus sit qui veritatem assecutus fuerit.

Huic contractui applicari possunt, cum debita proportione, omnia quae dicta sunt de ludo, quocum magnam habet similitudinem. Insuper, ad obligationem in foro conscientiae definiendam, haec notentur:

1^o Controvertitur inter AA. num is qui de futuro eventu certus est, sponsionem inire et pignus sponsionis retinere possit.

Plerique, cum Lugo (l. c. n. 81) et S. Alph. (n. 879), autumant id esse injustum: quia deficit omnino aequalitas. Nam spes lucri quae alteri traditur ab eo qui certus est se fore victorem, ab hoc cognoscitur nullius esse valoris; unde hic alterius ignorantia abutitur, haud secus ac si id quod optime nosset esse vitrum, venderet pro gemma ei qui gemmam sibi vendi existimaret. Alii tamen, ut Sanchez (Cons. Mor. l. 1. c. 8. dub. 13. n. 11), Marres (l. 4. n. 507), Waffelaert (l. n. 713), probabiliter opinantur id non esse injustum, dummodo unus se certum esse declaret,

alter vero nihilominus spondere velit. Nam hac protestatione sua prior posteriori satis significat non esse in casu locum contractui sponsionis oneroso; si ergo alter spondendo perseverat, debet intendere sponsionem gratuitam seu promissionem dandi, dummodo certa quaedam condicio verificetur.

2^o Si objectum sponsionis est illicitum, puta de injuria vel intemperantia patrandae, applicanda sunt dicta n. 584 de contractu turpi. Igitur, post patratam rem illicitam, praemium practice nec dandum, nec restituendum est.

3^o Lex civilis nostra in eodem censu habet obligationes ortas e ludo atque e sponsione. Nempe debitis ex utroque contractu oriundis civilem actionem denegat, exceptis tantum moderatis lucris quae oriuntur e quibusdam ludis ad corporis peritiam et exercitium pertinentibus. Attamen nemo actione judiciali repetere potest quod sponte solvit, nisi victor adhibuerit dolum vel fraudem. (C. C. a. 1965 seqq.) Igitur lex civilis obligationes e ludo vel sponsione ortas relinquit quales sunt jure naturali.

4^o Si quis luderet cum proposito non satisfaciendi obligationi suae, sed utendi beneficio legis, is certe affectu justitiam laederet. Nihilominus contractus maneret validus, ut contra Lessium (de Just. et J. l. 2. c. 26. n. 31) opinatur Lugo (l. c. n. 54 seqq.). Ratio est quod, ut patet e multis contractibus, puta matrimonii, ad valorem contractus non requiritur in contrahente animus exsequendi id ad quod se obligat, sed sufficit animus obligandi se ea obligatione cujus contractus est capax. Qui tamen nollet se obligare ad solvendum, nullum contractum iniret, ideoque certe ad restituendum lucrum teneretur.

De sponsionibus, aequae ac de ceteris ludis, severius loqui solent Jurisperiti, nec immerito: siquidem non inspiciunt, more Theologorum, singulos actus spondendi vel ludendi, sed consuetudinem, quae, ob aestum lucri, fere necessario cum innumeris fraudibus, abusibus et scandalis conectitur, prout lugenda experientia constat, tum in ludis, tum in sponsionibus, quae praesertim de equorum cursibus, cum funesta ingentium pecuniarum profusione frequentari solent.

§ 4. DE SORTITIONE SEU LOTERIA.

663. Loteria definiri potest: contractus quo singulis, certum pretium solventibus, datur jus ad obtinendam rem vel pecuniae summam, si eis sortitio favorit.

Hic contractus per se nihil illiciti continet, ut patet ex iis quae de contractibus aleatoriis et imprimis de ludo, quocum loteria magnam habet conexionem, dicta sunt. Speciatim autem haec observanda sunt: